



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

**Oratio Ad Pastores Ecclesiasticos in synodo Parisiensi
Habita 3. Cal. Maii. 1563**

Dalenconius, Ludovicus


Parisiis, 1563

urn:nbn:de:hbz:466:1-31456



~~784/5~~

J 372.



ERZBISCHÖFL.
AKADEMISCHE
BIBLIOTHEK
LEOSTR. 21
PADERBORN

8

ORATIO AD
PASTORES EC-
clesiasticos in synodo Pari-
SIENSI HABITA 3. CAL.

M A I I . I 5 6 3 .

Per Lud. Dalenconium doctorem Theologum.



P A R I S I I S ,
*Ex Typographia Thomæ Richardi, sub Bibliis
aureis, è regione Collegij Rhemensis.*

I 5 6 3 .

Handwritten text, likely a title or header, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely a title or header, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely a title or header, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely a title or header, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely a title or header, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.

Ad celeberrimum canonico-
RVM ECCLESIAE CATHE-
dralis Parisiensis collegium.

F. Picard.

A Eneam celebrat pietatis amore Poëta,
Quod diuos humeris sustulit atque patrem.
Martia Roma Numam super astra micantia tollit,
Qui sacra coluit relligione deos
Siccine cantabit vates ducis acta profani?
Efferet antiquum Martia Roma Numam?
Nos verò laudes nunquam reticere pudebit,
Quas vobis peperit relligionis honos?
Perspecta est cunctis animi constantia vestri,
Nota fides, pietas, cultus amorque Dei.
Hic tamen orator vestri decus auget honoris,
Qui vestro accitu verba diserta refert.

A ij

AD LECTOREM DE ORATIONE SY-

*nodali nuper à Domino Lud. Dalenconio doctore theologo in æde
diuæ Mariæ sacra habita. F. Le Picard.*

Non mirum est (lector) quod sydera clarus honores
Obtineat primos inter fulgentia Phæbus.
Quo commune bonum magis est, hoc laudis honestæ
Dignius esse solet: rerum natura bonarum
Alma parens sic nos iussit sentire: nec Herclè
Hos frustra colimus, quibus est respublica multis
Deiuncta officiis, quis recto hoc iure negabit?
Ecce Dalenconius nuper moderator & auctor
Harcuriæ pubis, diuinæ legis amator
Doctorque eximius, multa præfulgidus arte,
Cuius ego imperiis parebo semper, vt ante
(Discipuli pro more boni) dum vita manebit.
Qui facta synodo diuinæ matris in æde,
Et sermone suo (quondam velut Orphea sylvas
Dulcisono mouisse ferunt & flumina cantu)
Sic hominum teretes demulsi protinus aures,
Vt commune statim manus altera (credite) cunctis
Fecerit istud opus, dum diceret infcius autor.
Eya agè sublatos sincero corde labores
Excipe, furtiuus nihil est iucundius vndis.

AD OMNES HARICVRIANI GYMNA-

sii doctores theologos, & præceptores. F. Picard discipulus.

Quot Gazas Arabum tellus, quot sydera cælum,
Quotque habet eximios Græcia docta sophos.
Tot præclara viros vestro fulcita labore
Protulit insignes, Harcuriana domus.
Quid causæ est? morum probitas, & vita pudica,
Omnibus esse solet concomitata bonis.

ORATIO AD

PASTORES ECCLESIASTICOS

in synodo Parisiensi habita 3. cal. Maij 1563.

NON ELEGISTIS ME, SED EGO

elegi vos, ut eatis, & multum fructum afferatis. Ioh. cap. 13.



Nolite putare (patres ecclesiastici) eo me consilio ac voluntate, quod apud beatum Iohannem factorum christi, dictorumque preconem fidelissimum legendo comperi, pro huius exhortationis argumento proposuisse, ut quidquam vos docere suscipiam, potius quam, ut eorum quae decent euangelice vitae professores, vestram meamque memoriam refricem. Hic non est mihi propositus finis, mihi non est hoc consilium, ea mens non est mihi (boni auditores) Nam dum circūspicio, & apud quos mihi dicendum est animaduerto: sic iudico de vobis & me, ut coruum inter olores occinere, aut olitorem inter disertos oratores dicere vere fatear. Apud quos omnes, fortassis honestius esset mihi tacendum, quam loquendum: nisi gravissimorum virorum autoritas hunc suggestum me ascendere imperasset. Cui dum parere contendo, sic de Themate proposito dicam, ut nullius moribus scandalum adferatur, nullius vita offendatur, nulla sacro sacerdotum ordini iniuria inuratur. In eius enim dignitate comendanda potius quam in ecclesiasticorum moribus accusandis, esse laborandum exi-

A ij

stimo: his etiam tēporibus adeo calamitosis quibus multi nō
desunt, qui ore impudico, mille modis istum ordinem dilace-
rant. Afflicto non est addēda afflictio, sed potius adferenda
cōsolatio: nec mea sententia is est assentator, qui ecclesiasti-
corū vitia prudenter veretur hodie detegere: quicquid di-
cant quidā, quibus pulchrum videtur, & cathedra veritatis
factū dignissimum, in vita ecclesiastica professores palam
inuehi, & acclamare. Nolite ergo alienorū vitiorum pro-
mulgatores in me expectare, conabor quātum potero in ex-
plicādo themate proposito, ne quis à me se lēdi, vel morderi
sentiāt. Et quoniā dat deus Euangelizantibus verbum vir-
tute multa, Christiparā Mariā obsecrabimus, ut ab omni-
potenti deo auxilium, ab unigenito filio suo gratiā, à spiritu-
sancto nobis diuinum spiramē impetret, ut omnia dei hono-
re digna vobis audire, & mihi detur eloqui. *Aue Maria.*

*Non elegistis me, sed ego elegi vos, ut eatis, & mul-
tum fructum afferatis. Ioh. 13.*

TRes sunt omnino argumenti nostri partes, (viri eccle-
siastici) quarum prima de electione tota est instituta, se-
cunda ecclesiasticorum officium continet, tertia finem, cau-
samq; propterquam tale sit illis demandatum officium com-
prehendit. De quibus postquam à nobis dictum fuerit bre-
uissimè, vela cōplicabimus. Ego vero iam quærens cogitan-
do quis horum Christi verborum sensus esse possit: Nō ele-
gistis me, sed ego elegi vos: Alium nō reperio, quam sola ele-
ctionis via domum dei esse adeundam. Omnes fures esse &

latrones, qui aliunde illam ingrediuntur. Quod alia sententia tam firmiter statuitur, ut rei capitis conuincantur. omnes qui contra faciunt. Nemo assumat honorem sibi, nisi uocatus tanquam Aaron, quo caelestis regis decreto, omnis via quæ non est electionis intercluditur, uetatur, prohibetur. In rebus humanis ea solet a nobis cautio adhiberi, ut ad solemnes epulas nisi inuitatos pudeat nos accedere: Ad oppiparum dei conuiuium. in quo christi caro manducatur, & eius sanguis uerè bibitur, (quicquid oblatrent canes impudici) cuilibet homini patebit aditus? Si quando seruis indigemus eos ex multis prudenter deligimus: In domo dei ministerio fungetur quicumque uolet? Res domesticas, & negotia nulli committimus nisi cuius fides nobis perspecta sit, & cognita: proinde ministrorum dei magna cura habenda est, & delectus prudentissimus: nec quibus placebit erunt ecclesie bona tradenda. Liberis suis paterfamilias magno studio uirum querit à quo regantur, & quæ ad ciuilem honestatè pertinent omnia cognoscant: Episcopis, abbatibus, prioribus, & aliis ecclesiasticis patribus, liberis suis (diocesanos & subditos intelligo, quos secundum euangelium gignunt, aut gignere debent:) nulla erit cura rectores bonos, & caelestis honestatis peritos querere, eligere, præficere? hoc qui negligunt, intelligant se neglecturos iri à domino in die iudicij. Sed cùm absint illi, surdis cano fabulam. Interim monebo (si placet) eos qui uices eorum gerunt, ut quos uel cognatio, uel ambitio, uel pecunia, uel amicitia, uel res alia quam non probabit dominus, ad ecclesie officia duxerit, caueant recipere: sed ad ea potius uocent illos, quos uirtus & doctrina commen-

darint. Hi sunt à quibus regenda sunt ecclesiae, quibus tradenda est animarum cura, & committendus grex dominicus. Sed vereor ne longè nunc aliter fiat, vereor inquam, ne viro bono doctòque volèti sacerdos fieri dicatur, si patrimonij tui fidem feceris, optatus veneris: sin minus, ab optata sacerdotali dignitate arceberis. Vox pagana verius quàm christiana. Vox ea, vox christi non est his quos in sacerdotes cõsecrare statuerat precipientis, vt domum suã & omnia quæ possidebant venderent. Intelligant igitur illi quantum sint paganorum similes, in quorum ore frequens hoc erat: O ciues ciues quæreda pecunia primum est, virtus post nummos. Ad episcopatus, prioratus, abbatias, & alios qui sunt in Republica ecclesiastica magistratus: Hylarium, Hieronimum, Bernardum, & plures alios sola virtus euexit. Petro sua fides sola summũ episcopatum dedit, Apostolis aliis alia virtutes sua cuique contulerunt officia, Moyses regimẽ domus dei ambitiosè non petiuit, Aarõ præesse populo dei non ambiuit, Isaias, Hyeremias, & quotquot in domo dei magni fuerunt, honores magnos sollicitè minimè petiuerunt. Omnes illos dominus elegit, electos prædestinavit, prædestinatos vocauit, vocatos summis honoribus exornauit. Ad cuius factum, propius quàm nos mihi videtur Romani accessisse, quando ex agro ad dictaturam Cincinatũ accersuerũt. An non christi cognati, filij matris Zebedei, in regno dei primos locos per matrẽ petentes, repulsam passi sunt? hac de re nobis plurimum semper electionẽ sancta patrũ decreta cõmendarunt. Illa quandiu locum habuit in ecclesia, tãdiu stetit hac diues, & floruit: at vt primũ cœpit illa exulare nescio quãdo re-

do reditura, atque cœperunt homines consanguinitate, ambitione, equorum cursu, nescio an non aliquando emptione, in ecclesia honores officiâque venari & possidere: sic huius flos decidit, ut vix ullam nunc ecclesie antiqua formam retineamus. Faxit omnipotēs deus, ut illa iam misere prostrata aliquando resurgat, semisepulta reuiuiscat, semimortua respiret. Ab hac argumenti prima parte, ad secundam lubens pertrāsire, (fratres ecclesiastici) nisi in his, christi verbis, non elegistis me, sed ego elegi vos: aliud reperirem silentio minimè sepeliendum. Ad nos enim plurimum pertinet. Quasi repetens animo christus adeò rudem suorum discipulorum mentem antequam eos elegisset, ut rebus caducis intenti nihil diuinum saperent, potiusque terrena quàm celestia, mundum quàm christum eligerent, & sequerentur: eã in illis quasi cum exprobratione insipientiam reprehendit, quæ haud scio, si minor est in nobis qui christum eligere, sequi ducem, audire docentem, imitari operantem nolumus. Christus pauper factus est ut nos locupletaret, nos ditescere volumus ut inedia alios opprimamus, christus carnem suam maceravit, nos corpus delicatè nutrimus, in cute curanda plus æquo occupati. Christus ad predicandum unctus fuit, nos ad tacendum consecrari videmur. Christus tota vita laboravit, sudavit, & alsit, nos tota vita quiescere exoptamus, quibus magis fortasse placet in medios dormire dies, & ad strepitum citharæ cessatum ducere curas, quam christum eligere, & quæ sunt nostræ functionis expetere, quærere, facere. Siccine Christum imitamur? siccine Christum eligimus? Non eum nos elegimus, sed ipse nos gentiles, Idolorum cul-

B

gionē veterem, verū Christi euangelium, hæc docetē, in his
vigilate, laborate, instate: sic opus euangelistæ facietis, ve-
stro officio satisfacietis, & non sine grata mercede vestrum
ministerium adimplebitis. Finem & causam propterquam
iis quos elegerat munus predicandi Christus demandauit,
postquam breuiter exanimauerimus, tertiam thematis par-
tem habebitis explicatam (auditores ecclesiastici.) Ego hæc
verba considerans, (ut multum fructum afferatis) cogitans
etiam rerum secularium curam ecclesiasticis fuisse prohibi-
tam, quia duobus dominis, deo, & mundo seruire nequeunt:
alium fructum Christum intellexisse quam animarum sa-
lutem non puto. Hoc etiam eo mihi persuadetur, quod eccle-
siæ ministros esse hominum piscatores ex scripturæ testimo-
niis deprehendamus, ad eos enim pertinet homines piscari,
hominum animas deo lucrari, & earum salutem christo lu-
crifacere, quod ut consequantur, duo sunt necessaria: vitæ
sanctitas, & doctrina. Testis est eius rei Paulus, dum Ti-
motheo scribens episcopum, & omnem ecclesiasticum virū
sic instruit. Oportet episcopū doctorem esse, irreprehensibile,
habereq; bonū testimoniū ab his qui foris sunt, ut in oppro-
briū non incidat. Idemque ecclesiasticæ vitæ formandæ ma-
gister optimus suo Timotheo quantū potest suadet, imo vero
præcipit: ut attēdat doctrinæ & lectioni, sitq; exemplū fide-
liū in verbo, in cōuersatione, in charitate, in fide, in castitate,
sic enim (ait ad illū) te ipsum saluū facies, & eos qui te au-
diūt. Is est multus & uberrimus fructus, quē suos ministros
sperat christus reportaturos, si cū Timotheo fuerint iisdē vir-
tutibus instructissimi, his accedit quod ad Titū scriptū legi-

mus. Prebe te bonorū operū exēplū in doctrina, in itēgritate irreprehēsilē: ut qui ex aduerso est vereatur, nihil habens maledicere de nobis. Ex qua Pauli doctrina tā frequēter repetita, si palā est nihil adeò ecclesiasticos decere, quā scientiā & vitæ probitatē: eosdē nihil adeò dedecere quā inscitiā, & morū turpitudinē, ex eodē est manifestissimū. Pulchrū est eos doceri, qui alios docere, regi, qui alios regere, cæcos esse, qui aliis prælucere debent. Pulchrū est eos à quibus legē debet populus requirere, legē à populo discere. Pulchrū est eos quorū est aliorū vitia corrigere, ab aliis audire: medice cura te ipsum, qui alios doces, teipsū nō doces: qui dicis nō furādū, furaris: qui prædicas nō mœcandū, mœcaris: qui ab hominibus pro sacerdotiis cōtendētes in iudicio, alios vexas litibus forēsibus, & his delectaris: qui dānas pastores ab omnibus absentes, eū gregē non recusas, a quo nunquā abesse tua persona indignū putas. Turpe est doctōri cū culpa redarguit ipsum. Eā obrē, debēt ecclesiastici bonis moribus & doctrina esse instructissimi, sunt enim hæ virtutes, quibus velut hamo homines piscabūtur, eorū animas lucrifacient deo, & eū fructū adferēt, propter quē electi sunt, missique per uniuersum orbē regnū dei prædicādo propagaturi. Quem solū fructū à suis ministris & colonis expectat dominus, in cuius domo si faciāt sua commoda, nec adeò currēt eius possessiones amplificare, quā sibi & suis cōsanguineis prodesse: ipsi sibi ministri sunt, & nō deo, nec certē fidelis est seruus, qui missus ab hero ut metat, bonā frugū partē in suā trāsferat utilitatē. Quare qui se, & non gregē suū pascunt: qui suā domū reddunt locupletiorē, & dei familiā negligūt: qui denique om-

quis existimabit eos ferendos? quis audiendos iudicabit in republica, nisi qui eiusdem cum eis farinae fuerit? Illi quamquam sanam doctrinam docerent, non tamen essent excusandi: nam deus Dathan & Abiron non perdidit, quia aliena sacrificia non offerret: sed quia cum sacerdotio, leuitarum officia usurparent. Hoc cum faciant nostri noui euangelista, praeter id etiam, adulterinam doctrinam profiteantur: illos iuste exterminandos esse nullus negabit, nisi qui deum Nadab & Abiud thuribus incensum, & alienum ignem offerentes, iniuste exterminasse fatebitur. his iusti iudicis dei factis erudimini qui iudicatis terram, hinc discite in eos animaduertere, qui Dathan & Abiron Nadab & Abiud impia temeritate superant. Usquequo faciem peccatorum sumetis? intelligant omnes qui gladium portant in vindictam malorum, iustitiam tamen nec sciunt, nec faciunt, quam sint aliquando mercedem accepturi. Reddet illis iniquitatem eorum, in malitia eorum disperdet illos, disperdet illos dominus deus noster. Quibus minis non falsis debent sibi cauere & cogitare se prouerbis quae circumferuntur nihil meliores ne euangelistis proponi iucundos. Qui tacet consentire videtur simile simili gaudet sathan in se nunquam diuiditur nec sathan Sathanae conatibus impiis unquam visus est obistere, sed habent illi aures, & non audiunt, oculos: & non vident, pedes, & ad iustitiam non ambulant. Eam ob rem, ad vos redeo (boni auditores) vosque supplex rogo, ut officij vestri memores semper sitis: quod non est oscitari, quiescere, nihil agere, talis, & ludis huiusmodi euangelica uocatione indignis totos dies consumere, epulis delectari, choreis operam


dare, cythara incumbere, rebus aliis nihil sanctæ simplicitatis redolentibus vacare: sed ire, & ubique terrarū dei verbum disseminando prædicare. hoc vestrum est officium, hæ sunt vestrae partes, hoc ergo facite ut vestrum ministerium non contemnatur, & ne (quod Paulus admonet) ea gratia negligatur, quam per prophetiam accepistis cum impositione manuum presbyterij. Attendite exhortationi docete, corrigite, increpate, pro principibus & populo orate, pro pace sacrificate, pro vestris & omnium peccatis deo sacra facite. Hæc & euangelium annunciare, vobis incumbere ex officio non negabit is, qui leuitas omnes istud in mandatis accepisse meminerit, quos cum Deus instrueret quid facerent, docebitis (ait) filios Israël, ut immunditias caueant, & non moriantur in sordibus suis. Clama, (ait propheta suo) & annuncia populo meo scelera eorum. Tota vita quid aliud Christus fecit? quid post eum apostoli? id facere qui negligunt, totumque vitæ tempus silentio transigunt, aut diuitiarum thesauris accumulandis applicant, aut studiis inanibus accommodant: & opus dei negligunt, quod est grex domini, & salus populi. Apud Isaiam grauissimè increpantur. Væ qui domum ad domum coniungitis, & agrum agro copulatis usque ad limitem terra. Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam: cythara, byra, tybia, tympano in conuiujs delectamini, & opus dei non consideratis, nec opera manuum eius respicitis. Canes muti, non valentes latrare, videtes vana, amantes somnia. Ite ergo vos, & prædicate, non falsam doctrinam, non ecclesiam nouam: sed fidelem sermonem, omni acceptione dignum, reli


tores in suum populum accersuit, nos enim eramus alienati
à conuersatione filiorum Israel, & hospites testamentorum
in hoc mundo: Nunc verò, nos qui aliquando eramus lōge,
in Christo Iesu facti sumus prope, nec amplius aduena su-
mus & hospites, sed ciues sanctorū, & domestici dei. Nos
verè Christus elegit, quando nostram naturam, quam an-
gelicam accipere maluit. Ille si nobiscum nūc viueret in ter-
ris, sic nos affaretur. Non eligitis me, qui non propter me &
Iesum tantum, sed ut faciatis vestra commoda, mea domus
honores anhelatis omnes, que vestra sunt, nō que Iesu Chri-
sti queritis, deum non propter deū quærentes, sed lucris in-
hiantes. Sic enim uiuitur nunc, & qui cōtrā faciat, est Cor-
uo rarior albo, ut omnes præesse, nulli prodesse velint. Vtq;
impetrandis pinguioribus sacerdotiis, & habendis in eccle-
sia amplioribus dignitatibus electio prudēs adhibeatur, &
de propagando regno dei nulla cura habeatur. O præposte-
rum factum. contra facere ex hoc Christi præcepto discite.
Querite imprimis regnum dei, & omnia vobis adicientur
prospera. Vulgo dicitur, ei maledicere euāgelium, cui ius est
eligendi, nihilominus quod est deterius accipit. Iudæis, quia
Christum crucifixerunt, & Barrabam liberarunt, malum
omen fuit, nec caruerūt maledictione, quam nos sentiemus,
si Christo Barrabam præponamus, Si viro bono, doctōque,
sceleratum & ignarum antepoſonamus in deferendis ecclesie
honoribus, Si denique non propter Iesum, sed propter lucrū,
ad ecclesiasticas dignitates aspiſsemus. Intellexistis (patres
ecclesiastici) sola electionis via dei domum esse adeundam,
illos qui sic eā ingressi fuerint & iam sacerdotes facti, quid

oporteat facere, quibus rebus debeant vacare, quod eorum
sit officium, (hoc enim est secundæ partis nostri thematis) Iam
video vos arrectis auribus expectare: de quo sic cęseo, ut il-
lud totum hac verborũ paucitate inuolutũ esse existimem,
ut eatis, quod fusius Christus explicauit, quando mittēs eos
quos presbiteros consecrauerat, dixit: Ite prædicate euange-
lium omni creaturæ: quod euangelij prædicandi munus, ad
solos ecclesiasticos pertinere, nunc lubens, ostenderem: nisi
locus hic admoneret me dicere palam, eos impudentissime
facere, qui nec à Christo missi, nec consecrati, illud sibi
vendicant, nec refrenatur eorum plena impietatis audacia,
eo quod Paulus scripsit: ut in ea tantum uocatione ambulet
quisque, ad quam fuerit uocatus. Illud quod diximus offi-
cium prædicandi solius ecclesiastes esse, hoc unum mihi per-
suadet, quod nullis pistorb⁹, nullis lanariis, nullis fulonibus,
nullis cementariis, nullis de genere mechanicorum artificum
hominibus, in tota scriptura dictum fuisse legamus, Ite, præ-
dicate euangelium omni creaturæ: hoc tamen audent illi frõ-
tis impudica homines usurpare. O factum impudens, ô
pestis, ô lues, ô perniciēs animarum. Hinc scaturiunt quæ
mala sentimus, hinc nostræ deriuatur miseræ hinc ecclesiæ,
manat grauis ruina. Si qui aliena usurpant non carent ani-
maduersione, cur non punientur illi quod est alienum usur-
pantes? si in bona politia animaduertitur in fertorem qui su-
toris opus fecerit, impune uiuent, imò cum laude excipietur
Sycophãti, nebulones, lenones, personati homines, equorum
excoriatores, & his de hominum fece uiliores, qui euangeli-
stæ opus facere attentabunt? Illos tollerãdos quis iudicabit?

nia sibi, nihil suo gregi accumulunt: quē dominus fructū desiderat nō referunt, quod multo minus faciūt, qui dū tacent, homines in perditionē cadere sinunt, vel dū falsam doctrinā docēt, animas hominū in salutis discrimine ponūt, & veneno suos inficiunt, dū bonū semen nō semināt. Ad quā impietate cū facile credam nullos huius tam sanctæ societatis deuenisse, in eius erroris indignitate ostēdenda nō immorabor diutius. Sed tantū vos gentē sanctā regale sacerdotiū per sacra precabor, ut vestra plusquā regiæ dignitatis nunquā sitis immemores, ut nihil ea indignū unquā à vobis cōmittatur, ut nō habeant aduersarij quidquā aduersum sacrū sacerdotū ordinem dicere, & ne verius nomine solo, quā re sitis presbyteri: quorū est aliis iter virtutis præbere, & salutis viā sternere. Cogitate oportere vos electos, vita & moribus sicut & honore ab indocta nesciaq; honestatis plebeia multitudine selectos esse, & separatos. Obsecro itaq; vos fratres per misericordiā dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, deo placentem, & rationabile obsequium vestrū. Nolite conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri: ut probetis quæ sit voluntas dei bona, beneplacens, & perfecta. Nā seruus domini sui sciens voluntatē & non faciens, plagis & apulabit multis. Voluntas domini hac est, sanctificatio vestra. In mandatis accepistis ab eo populum docere, ubique euangeliū prædicare, & homines saluos facere, quem fructum si in horreū domini transportaueritis, reddet vobis in cælo cum beatis mercedem tempore nullo perituram. Dixi.

F I N I S.







Orat
da

38